



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Visio imaginaria quinti Angeli describitur. Sectio Prima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

COMMENTARIUM SECUNDVM EXEGETICVM.

De Tertia visione Ioannis.

Visio imaginaria quinti Angeli describitur.

SECTIO PRIM A.

PRIMUM igitur tuba canente quinto Angelo vidit Ioannes stellam cecidisse de caelo in terram, cui Angelo, siue etiam stellæ (ad vtrumque enim referri potest nomen Græcum *ἀστὴρ* data est clavis putei abyssi: verum ad stellam referendum esse ex nostra interpretatione constabit. Secundò aperuit huiusmodi stella puteum abyssi, & ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ, id est, densus, & obscurus: & obscuratus est sol, & aer. Tertio de fumo putei exierunt locustæ in terram, quibus data est potestas similis potestati scorpionum: præceptumque est illis, ne læderent fœnum terræ, neque omnem arborem, sed tantum homines, qui non haberent signum Dei in frontibus suis: quos tamen non occiderent, sed tantum cruciarent mensibus quinque: diciturque eorum hominū cruciatus similis cruciatus scorpionis, cum hominem percutit, id est, crudelis, venenatus, & furtiuus: quamobrem homines mortem optabunt, quæ ab eis tamen fugiet. Quarto similitudo locustarum erat horrida simul, & admirabilis: etenim similes erant equis paratis ad prælium: gestabant super capita tanquam coronas auro similes, habebant facies hominum, dentes leonum, capillos mulierum, caudas scorpionum, & in caudis aculeos, loricas veluti ferreas: vox alarum erat sicut vox curuum equorum multorum currentium ad prælium cum potestate nocendi hominibus mensibus quinque: denique habebant super se regem Angelum abyssi, cui nomē Hebraicè Abaddon, Græcè Apollyon, Latinè exterminans. Nomen Hebraicè interpretatus est Ioannes Græcè: (idem enim est Græcè Apollyon, quod Hebraicè Abaddon) quoniam Græcis scribebat: quam eandem ob causam vulgatus interpretatus cum Latinis agens Græcam vocè Apollyon Latinè fuit interpretatus Exterminans: sic enim sæpe solent sacri interpretes, veluti Genes. 35. Vocauit nomen filij sui Benoni, id est, filius doloris mei, Pater vero appellauit eum Benjamin, id est, filius dextra. Et Exodi. 12. Est enim Phasè, id est, transitus Domini. Hæc sunt, quæ in quinto Angelo Ioannes commemorat, quæ iam sigillatim explicanda sunt: nam sexti Angeli visionem, quæ hoc etiam capite comprehenditur, ad sequens commentarium referuamus.

Quinti Angeli tuba canentis, & stellæ, quæ de caelo cecidit, putei abyssi, & locustarum literalis expositio. Et primum quorundam opinio de Vandalica persecutione commemoratur, & reiicitur.

SECTIO II.

Iuxta ea, quæ in superioribus præbilibiora iudicauimus, quintus Angelus quintum prædicatorum ordinem demonstrat. Per stellam verò de caelo cadentem Luciferum cum cõmuni expositione accipiendū putamus, qui initio mundi

I.
Quintus Angelus qui prædicatorum ordinem demonstrat.
Luciferus stella, quæ de caelo cecidit, dicitur Ioannes.